

4 Facula totius Operis. §. II.

Proverb. 9.

busque inchoandis: sive naturalem universi staturum, sive supernaturalem gratiae consideres, ut plures censent Theologi, & sancti Ecclesiae Proceres, videndi apud nostros Salazarium, & Cornelium in Proverbia. Cum vero Virgo Mater non fuerit à Filio disjuncta, etiam in electione divina, sive praedestinationis libro, utique in eo una cum Christo praescripta primum obtinet locum, & princeps caput. Redemptio Christi Primiceriam, illam appellavit Georgius Venetus in sua Harmonia Cant. 2. tono 3. Est autem Primicerius, ut eruditè probat noster Cerda in Adversarius factis t. 5. n. 2. primus in ceram. & in tabularum relatus, primumque locum obtinens. Unde Virgo Deipara Primiceria vocabitur, quia in praedestinationis libro, ante omnes alios praedestinatos, ipsa prima relata, & quasi aureis, sanguineisque Dominicæ redemptionis grandioribus litteris exarata, primum quidem totius voluminis locum obtinet. Tu ante omnem creaturam in mente Dei praedestinata fuisti, ad Mariam aiebat S. Bernardus. Senen. ser. 51. de B. Virg. c. 4. Hinc caput libri ob signati, nominata ab Andrea Jerosoly, Archiepisc. in Mariæ salutationem.

Maria est primiceria.

Venetus. Quis primicerius. Cerda.

S. Bernardus. Andreas Jerosoly.

Deipara cum Christo primiceria.

S. Ildeph.

Plinius.

P. Celada.

Arnoldus Carnot. Christus & Deipara unum sunt, & nomen primi utriusque commune.

Gene. 1. 5.

Gene. 1. 5. Factumque est vespere & mane dies unus, id est, primus: unam sabbati, quod Joan. dixit 20. 1. Matthæus legit primam sabbati,

Facula totius Operis. §. II.

batic. 28. 1. Et Poëta cecinit 2. Aenei. Cadit, & Ripheus iustissimus unus, hoc est primus. Porro, à seipso nullus potest esse secundus, aut tertius: Christus & Deipara idem sunt, unum sunt, & unitas, quæ inter illos est, secari in partes nequit. Si igitur Christus primus est, & primum in praedestinationis libro occupat locum, Deipara similiter prima erit, & prima cum Filio eodem praescripta volumine; nec poterit esse secunda ab illo: nam si esset à se ipsa, esset secunda.

Virgili.

Nemo à se ipso potest esse secundus.

11. Pl. 39. 8. Regio calamo, & Davidico ore sic gloriatur Christus: In capite libri scriptum est de me. Procopius legit: In primi libri capite. Alii, In libri principio. Campensis paraphrasis: In prima pagina libri. Nonnulli de libro praedestinationis intelligunt, & faveat Symmachus, qui pro libri, legit, definitionis tuæ. Unde efferas: In primo capite, in prima pagina definitionis tuæ scriptum est de me. Ego ibi primus praescriptus sum. Alii vero plures per librum intelligunt Geneleos librum, in cujus primo capitulo, prima pagina, seu initio scriptum de Christo est. Quid, quæso, de Christo scriptum ibi est? Illud inprimis: In principio creavit Deus calum & terram. Multi ex Patribus explicant: propter Christum, vel in Christo, aut per Christum, haud pauci ex Hebraeis apud Galati. lib. 7. c. 2. interpretantur: Propter sapientiam, hoc est, amore intemeratæ Virginis, quæ est mundi sapientia, creavit Deus hunc mundum; & amore Messie filii sui. Vides in ipso Geneleos limine, in ipso initio libri omnium primum, Christum ac Deiparam arcanissimè exaratos? Vides uno eodemque principii vocabulo commendatos? Rursus, nihil in eo capite continetur, quod ad Christum & Deiparam mysticè non revocent sacri Interpretes, & Doctores. Sed qui est, quod Christus ait, Scriptum est de me? Nonne, ut videmus, scriptum etiam ibidem est de eius Genitrice Deipara? Profectò, ea extat inter Jesum & Mariam unitas individua, ut cum ille gloriosè publicat, se omnium primum praescriptum aut in praedestinationis libro, aut in Geneleos principio, idem maino de Deipara sua dictum esse velit; nam unum cum sint, & utriusque non tam communis quam eadem gloria, sicut ipse primicerii, nomine gaudet, ita & ipsa primiceria honore.

Pfal. 39. 8.

Gene. 1. 1.

In ipso Geneleos principio, omnium primi Iesus & Deipara.

Gene. 1. 4.

Numerus binarius infans ut quæ unitatem dissolvens, Lyran.

Facula totius Operis. §. II. & III. 5

fuisse, ab unitate divideret, unitatem solveret ipsa prima. Quod minime patitur unitas inter Matrem & Filium; quæ talis est, ut divisionem non recipiat, nec secari possit in partes. Unum, & idem cum Filio sit; atque adeo nunquam secunda, semper cum ipso prima, cum ipso in omni libro praescribatur. Satis hæc pro justa fati capitis 24. contentione primum exambienti locum in hoc Ecclesiastici libro, cum caput sit totum in Christi, ac Deiparæ magnalibus egregiè evulgandis.

§. III.

Arcanè libri Ecclesiastici medullium occupat caput 24. in Christi ac Deiparæ obsequium

13. Si verò à contentione ablineat, & gaudet pacatissimè libri medullio, quod occupat, arcana erit capitum inversio, & arcana locus, & nomen vigesimo quarti. Scio hujus inversionis eam assignari in re simili rationem: quia cum universas libri Ecclesiastici sententias in diversis, ac vetustis membranis disjunctas repererit in Aegypto nostri Jesu Siracides nepos; in ordinem, quem habemus, vel ab illo, vel ab aliis, qui ex Græco in Latinum transtulerunt, fuere compilatæ, & digestæ, ordinis tamen neglectum. Non enim id novum; nam idem sentiunt gravissimi Auctores de Salomonis libro Proverbiorum, quæ non ab ipso, sed ab aliis collecta sunt eo positionis ordine, quem videmus, ut patet ex cap. 25. 1. Probè hoc scio: sed arcana adhuc retentæ inversionis rationes reddo. Ut enim S. Hilarius Canone 1. in Matthæum Non loci causa est, ut aliud in narratione sit, aliud fuerit in gestis; & aliud referatur in summa, aliud verò teneatur in numero.

S. Hilari.

Apoc. 4. 5.

Thronus unde fulgura, tonitrua, & voces, Deipara typus. S. Bernardinus.

Honorantur Christus & Maria vigesimo quarto numero.

Primasi.

14. Apoc. 4. & 5. intuitus Joannes Thronum empyreum, & sedentem in illo similem aspectu lapidis Jaspidis, & Sardinis: nec non viginti quatuor seniores thronum circumambientes: Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. Quod hoc throni genus? Qui sedent in eo? Qui verò viginti quatuor Seniores? Quænam fulgura, voces, & tonitrua? Certè symbolica hæc sunt: per sedentem in throno, Christum intellige cum Ambrosio. Ansberto, & aliis: per thronum ipsum, Virginem Matrem, juxta S. Damiani mentemfer. de Nativi, & S. Bernardi in ser. de B. Maria ubi ita: Joannes in Apocalypsi, de throno, scilicet de Maria, procedebant figura & voces & tonitrua: quia Maria Mater filii Jesu Christi parabolas, enigmata, legalia; & mirifica gesta, dicta, opera avidius ebit, fidelius credidit, sincerius, luculentiusque aliis tradidit. Videtur Mariam considerasse S. Bernardus, qua ratione illa noster Siracides eo 24. capite inducit unam cum Christo loquentem, edocentem, & augustiora Christianæ religionis mysteria prædicantem mirâ & varîa dicendi copiâ. Cæterùm, illud signatim premendum: & in circuitu sedis viginti quatuor seniores: quo satis monstratur, & medium possidere locum sedentem in throno, & tam thronum quam sedentem in illo sublimiter honorari vel ipso vigesimo quarto seniorum circumstantium numero: quo quis neget arcanum quidpiam contineri? Porro Primasi egregiè arbitrat, dum hujus numeri rationem reddit, positos esse viginti quatuor pro Ecclesia universali. P. Ildelph. de Flores in Eccles.

15. Nec novum in scripturis, Jesum & Mariam honorari numerorum mysterio, & misterio, Nam Hebræorum sententia est apud Galati lib. 7. Arcan. c. 2. nomina Jesu & Mariæ, ratione Arithmetica ascendere ad numerum Berith, quod significat pactum, & mysticè computatur numero 612. quem etiam numerum reddunt nomina Jesu, & Mariæ: quos honorari à Jeremia putant c. 33. 20. per illam vocem Berith, id est, pactum, vel sexagesimum duodecimum numerum. Fugare quoque est ex Sibilla Cumana, nomen Jesu consilari numero 888. uti etiam Mariæ nomen numero 999. contento in voce Miraton, quæ significat Principem facierum.

Numerorum mysterio, & misterio Jesu & Mariæ honorantur.

16. Rursus, locum totius libris medium, quasi medullium, possident Jesus & Maria; jure quidem merito, cum in confesso apud omnes sit, medium locum semper fuisset digniorem, ut eruditè probat noster Mendosa in Viridario lib. 5. Problema. 5. Arbor vitæ in medio horti voluptatis constituta dicitur Gene. 2. 9. lignum vitæ in medio paradisi. Non in ipso aditu locatur prima, unde illic posset spectantium oculis ad se trahere, sed in abditissimo loco, in medio nempe fortunatissimi nemoris; ut quæ reliquis arboribus præstantior, præstantiorem occuparet locum. Fuit autem (ait ibi Oleaster) hoc vitæ lignum tanquam nobilius, & majoris virtutis, in medio paradisi plantatum. Sed, quæ hæc, quæso, tam supereminens arbor? Maria certè, à S. Bonaventura i Pfalterio Virg. verissimè nuncupata Arbor vitæ fructifera. Et de qua S. Amedeus Homil. 1. de fructibus sanctiss. Virg. Inter hos, & horum media consurgit arbor generans cibum vitæ, & Manna cælesti; ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret in æternum. Cernis Christo ac Deiparæ, utpote reliquis creaturis longè præstantioribus, datum præstantiorem locum, præmaturè quidem in ipso paradisi medio? Ob eandem dixeris causam, assignatum illis totius libri Ecclesiastici medullium, ubi figurata paradisi arbor Maria est; & Christus figurata arboris fructus vitalissimus, in eam animarum. Sed age, & videamus si quid ad mores nobis subministrant hætenus dicta.

Medius locus semper fiat dignior. Gene. 2. 9.

Oleaster

Lignum fructiferum in medio paradisi Deipara cum Christo;

S. Bonav. S. Amedeus.

Moralis Confectatio.

§. IV.

Non tam viris locus, quam viri locis splendorem conciliare debent.

17. Non à loco felicitantur Christus, & Deipara, sed locum ipsi abundè felicitant. Talis debet esse quisque, ut non tam à locis dignitatem accipiat, quam locus ab ipso. Eminentiore locus non te eminentiorem faciat, sed tu locum: nec locus infimus te inhonoret, sed tu te ipso illum honora. Refert Plutarchus in Lacon. Agesilaum puerum, et si jam Regem designatum, in ludo solemnè à præfecto collocatum loco parùm honorifico, sic sapienter locutum: Bene habet; ostendam enim non locum viris, sed viros loco conciliare dignitatem. Et de Damonide, cum à chori magistro postremum in choro locum accepisset, dixisse ait: Euge Chorage, reperisti quo pacto & hic locus per se inhonoratus, fiat honorificus. Eodem spectat quod Laertius tradit lib. 2. c. 8. de Aristippo Philosopho: hic cum ad cenam vocatus à Dionysio Rege fuisset, & in convivio infimum omnium accumbere iussus, ita sententiosè pronuntiavit: Hunc locum Rex illustrare vis ac honorificum reddere. Equidem non sine fastu verba, sed opportuna ad mores. Non locus reddat nos honoratior, aut viliores, sed ex probitate nostra honor addatur loco, quantumvis despiciatissimo.

Plutar.

Laert.

Cruce olim ignominiosus locus summe honorata à Christo.

Lactan.

Chrysol.

Abjectissima loca honorata à Martyribus.

S. Cypri.

18. Quid Cruce erat abjectus? Quid ignominiosus? Certè fervorum, qui vilissimi, & quasi non homines censebantur, infame supplicium erat. Nihilominus tamen in illam Christum per summam ignominiam actus à Judæis erat. Bene hic addubitat Lactantius de vera sapientia lib. 4. c. 26. Cur si Deus fuit, & mori voluit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? Cur potissimum Cruce? Cur infami genere supplicii, quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum? Utique voluit Deus locum alioquin turpissimum & ignominiosissimum illustrare & honorificum reddere. Infamis quondam locus erat, quia non nisi à vilissimis homuncionibus occupatus: at postquam corporatum Verbum in eum dejectum fuit, usque adeò nobilitatus, & exornatus, ut nihil sit eo nobilius, nihil gloriosius; namque in purpuris Cruce (Chrysofostomus audit to. 5. in Ser. quod Christus sit Deus) in diadematis cruce, in precibus Cruce, in armis Cruce, & in mensa sacra Cruce, & in toto orbe Cruce, & super solem fulget Cruce. Bene habeat, o Judæi: deprecite Christum usque ad locum omnium despiciatissimum, agite illum in Crucem: ostendit in ea Deus, non loca viris, sed viros locis dignitatem conciliare. Ostendit abundè Christus, dum in Cruce locatus se Deum hominem ostendit, decus, & honorem divinitatis Crucì impertiens.

19. Detruduntur Martyres designati in carcerem, profundum, deterrimum, foedissimum, & abjectissimum locum. Quid subinde? Inhonorati Martyres loco à in honoratissimo? Minime gentium: imò eximium ipsi honorem loco conciliarunt. O beatum carcerem (ait Cyprianus epist. 81.) quem illustravit vestra præ-

sentia! & tenebras lucidiores sole ipso, & luce hac mundi clariores! Quid hoc mirum? quandoquidem de Socrate in carcerem incluso bellè aliquando Seneca ad Helviam dixit: Carcerem intravit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo erat Socrates. Tales erant designati ad martyrium Fideles, ut abjectissimo loco ornamento essent, non locus illis dehonefamento, etsi postremissimus, & abjectissimus.

20. Joseph ille Patriarcha, Ægypti quondam Prorex, moribus præmaturè Christianus, quia bene castus fuerat, in terram carcerem detruditur inter malefactorum colluviem. Sit carcer, ut aiebat Tertullianus lib. ad Martyr. c. 2. sit domus Diaboli, in quo familiam suam continet. Carcer quid Joseph fuit? Dehonefamentone, an ornamento? dedecori an decori? Sacer illi locus & sanctificatus extitit à sanctimonia, quam Joseph carceri conciliavit; nam, uti aiebat Augustinus, operatio sancta sanctificat locum. Joseph & sanctus erat, & per doctrinam, atque exemplum illius, locus aliàs infamis, abjectus, & diaboli domus, factus est schola virtutis, & sacrarium pietatis. Ita Philo sapientissimè. Deinceps locus ille non tam carcer, quam disciplina mediatorum fuit: erudiebatur sermonibus, & præceptis philosophicis, maximè ipsius Doctoris exemplis utilissimis. Imò addiderim, carcerem ab iis, qui pro pietate patiuntur, non tam carcerem esse, quam cælum ipsum, quasi tunc in cælum carcer avolaverit, vel cælum ipsum in carcerem descenderit. Chrysofostomus accipe sic altè exco-gitantem Homil. 8. in Epist. ad Ephes. Si quis mihi apud superos collocaret ..... aut cum Paulo vinclo, eligerent carcerem, & vincula. Ulque adeò honoratur à bonis viris locus abjectissimus.

21. Bene id esto, fortè dices: At viros, quicumque illi sunt, loca & officia honesta, & honorifica nobilitabunt, non ipsi loca. Nam quis tantus erit, qui ipsum Olympum, locum summi honoris & gloriæ, nobilitare & exornare possit, cum potius ipse incolis suis summum conciliet honorem? Porro, homines præclaris meritis honestati non tam à locis quantumvis sublimissimis honorantur, quam loca ab ipsis; vel ipsum Cælum cumulatè illustrent, & illustrius honorant. Pendebat è Cruce Latro ille fortunatissimus diro excarnificatus supplicio: sua confiteatur flagitia coram compati-ente Jesu collegâ passionis; à quo enixè petit memoriam sui, & paradisiacum locum: audivit illicò à Christo munificentissimo: Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. Quid hoc, Domine? Hominem de rapinis & homicidio famosum sub ipsa penè morte conversum, ad latus, & una tecum feres, & in Paradisum introduces? Videris quodammodo cælestem aulam tali adhibito socio dehonefatare, & Beatitudinis gloriæ offuscare? Nequaquam certè. Nam talis emerferat latro ex vera pœnitentia ferio conversus, ut condecoratus ipse plurimis sanctitatis titulis potuerit præsentia suâ cæli regnum condecorare, honorare, illustrare, atque splendidius reddere. Accipe Augustini verba sic argutè cogitantis Ser. 130. de tempore de Cruce & Latrone ad feriam 6. Paraceve. Christus sacratissimam ingrediens patriam, secum Latronem introducit, non conculcans Paradisum istius pietatis opere, sed honorans; neque confunders latronis introitu, sed illustrans.

Carcer malefactorum honoratus à Josepho.

Tertull. Oratio sancta sanctificat locum.

S. August.

Philo.

S. Chrysol.

Homines Insuper vel ipsum Olympum honorant, & exornant.

Luc. 23.

Bonus latro cælum condecoravit.

S. August.

trans. Sit Empyrei regia, sit cæleste habitaculum, sint æternæ beatitudinis sedes, supra humanum captum celsissimæ, felicissimæ, & ineffabiles humanis eloquiis; adhuc tamen talia sunt merita unitus latronis in ultima vitæ periodo conversi, ut possint locum illum cumulatiùs honorare & illustrare.

22. Preme, quæso, illud Ecclesiastici c. 16. 15. Omnis misericors faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum. De cælestis patriæ loco universi explicant Interpretes. Priora verba sic effert Syrus: Omnis, qui operatur justitiam. Quasi omnis misericordia seu elemosyna faciet locum unicuique, perinde sit atque, omnis misericors faciet sibi locum. Quid hoc? Itanè omnis qui operatur justitiam, in cælo sibi locum faciet? Crebra apud Psalmodum vox illa de Deo, qui fecit cælum & terram. Si verò per locum non cælum ipsum, sed mansiones in eo multas, sive beatissima intelligas folia, nonne verissimè Christus dixit Joan. 14. 2. In domo Patris mei mansiones multe sunt? Si jam fuit prædestinatis omnibus destinata hæc loca à Deo, qui fieri potest, ut omnis misericors faciat sibi locum in cælis? De Illo, qui suis meritis ad dignitatis fastigium sublimatur, dicere Hispani solemus proverbiali locutione: Se supo bazer lugar; fecit sibi locum. Certè omnis misericors misericordiâ suâ sibi locum facit in cælo, dum meritis suis illum sibi acquirit. Sed aliorum spectare videtur Siracides. Pro faciet locum, est Græcè, parabit locum. Parare autem ex usu sacrae Scripturæ idem omnino est, atque exornare, decorare. Isai. 40. 3. Parate viam Domino, id est, nitidam reddite, decoram, speciosam. Omnis igitur misericors parabit sibi locum in cælis, id est, exornabit, decorabit, nitidas, decoras & speciosas reddet sibi mansiones illas: quasi non tam ab illis decoretur & exornetur ipse, quam ipse ab illo benemerito.

Joan. 14. 2.

Isai. 40. 3.

Joan. 14. 2.

Multi mansiones in cælo sunt, sed in dies paranda & exornanda à Justis.

S. August.

S. August.

Parat Christus & exornat cæli mansiones dum justos parat & exornat meritis.

preparabit sibi locum. Vides, vel ipsas Olympi sedes non tam esse beatis decori & ornamento, quam Beatos ipsis?

24. Hinc edifcas, evehendum ad dignitatis fastigium non nisi benemeritis, qui meritis suis locum possit nobilitare & exornare: sed fastigium evehendus, qui locum possit nobilitare. Proverb. 11. 22. aiebat Salomon: Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua. Quid hoc? scio litteralem sensum ad mulierem spectare stultam, & impudicam, cui ipsa pulchritudo ad instar est monilis aurei gemmatique ex his, sive porcæ naribus penduli, quod minimè ei est ornamento, sed dedecori, cum ipsa, ut pote animal stultum, stolidum, foedum, & immun-dum, decori illi esse non possit. Nihilominus tamen verba revoco ad immeritum alicujus dignitatis possessorem, cum Salviano, lib. 4. de Gubernatione. Quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Quid est aliud vocabulum sanctum sine merito, nisi ornamentum in luto? Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Non decoratur honore, quantumvis aureo, & gemmeo; dedecoratur potius, cum meritis destitutus honoris fastigium decorare ipse non possit. Rectè enim Philo lib. de Plantat. Noè: Gloria insipientis malitiam reddit illustrem.

Solus ille ad dignitatis fastigium evehendus, qui locum possit nobilitare. Proverb. 11. 22.

Salvian.

Philo.

25. Huc etiam spectat trita illa ejusdem Salomonis sententia Proverb. 26. 8. Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii; sic qui tribuit insipienti honorem. Ex penè innumeris interpretationibus à nostro Comelio congestis illa aridet, quæ lapidem in acervum Mercurii immisissimum de gemma accipit pretiosa, quæ trivialibus, & nullius pretii lapidibus admiscetur, inter quos nec pretium habet, aut splendorem, nec apparet, neque agnoscitur. Sic similiter facit qui non merenti, sed immerito honorem impertitur, rem proflus inutilem facit, cum perdat honorem qui in indigno nullius est pretii & splendoris; honor enim immerito collocatus ornamento esse non potest, dum immeritus honorem ipsum nobilitare & exornare non valeat. Solùm enim bona merita (ut Cassiodoro egregiè scribit Rex Theodoricus lib. 5. Variar. Epist. 40.) splendidi dignitatibus sociata, æternis præconiis adjuvantur, & unius rei facies de addita sibi venustate pulchrescit.

Salvian.

Proverb. 26. 8.

Cassiodo.

26. Matth. 5. 14. assimilat arcanissimè Christus Dominus eximios Ecclesiæ Prælatos & Doctores tum civitati supra montem positæ, tum lucernæ super candelabrum. Dicite, quæso, quid si civitas desolata in montis fastigio collocata appareat? Quid si fumigans lucerna luce destituta suâ super aureum sublimetur candelabrum? locumne usque adeò sublimis decori, & honori poterit illis esse? Imò dedecori, & ignominia: cum & ipsa mentis sublimitas sic ingloriè civitatis ruinas demonstret, & splendida candelabri celsitudo magis prodat fumiferam lucernam. Audiendus S. Bernardus lib. 2. de Consil. ad Euge. c. 7. ita agens: Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinavit induere insignibus suis, absque his nempe eò deformior, quò illustrior. Numquid potest abscondi civitatis supra montem positæ desolatio, aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Certè dignitate indigni, ipsamet

Matth. 5. 14.

S. Bernar.